



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum  
Communem Hostem Christianorum**

**Vaux, Léonard de**

**Leodii, 1685**

§. I.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

## NUMERUS SEPTIMUS.

*Quam Rex Regum, Salvator omnium  
hominum JESUS-CHRISTUS,  
Deus-Homo, Sanguine proprio acqui-  
sitam Ecclesiam; & in Terrâ Sanctâ  
fundavit: eandem ab infami Tur-  
carum tyrannide, citius liberent  
Principes Christiani; cohortationi-  
bus summorum Pontificum, &  
exemplis majorum Heroum ad hoc  
Bellum Sacrum animati.*

## §. I.

**B** Revissimo tempore, sævissimi,  
& potentissimi hostis Chri-  
stiani Nominis, tyrannicum  
imperium funditus everteretur: si  
Principes Catholici, unico, visibili,  
universalis Ecclesiæ Capiti, in hoc Sa-  
cro Bello pro gloriâ Crucis Christi,  
conjunctis armis & animis adhærerent.  
Ad hanc Sacram Militiam plurima  
sunt, quæ illos non modò vocant, &  
excitant, sed etiam compellunt; ni-



74.  
mirum major Sanctissimæ Triadis gloria, Regni Christi recuperatio, militantis, Ecclesiæ propagatio, perpetua nominum eorum memoria, quæ erit in Benedictione coram Deo, & hominibus: hæc magnarum mentium ad quævis ardua capescenda, incitamenta, generalia sunt: quibus tria peculiaria hic adjicio. Videlicet Terræ Sanctæ insignes prærogativæ, exempla majorum Hæroum Orbis Christiani, & cohortationes summorum Ecclesiæ Pastorum; si quod est motivum ad hanc Belli Sacri expeditionem, & accelerarionem efficacius & potentius, in medium afferatur: ut omnibus profit, quod pro omnium salute proponitur.

Primum omnium est mente animoque considerare, jus præcipuum Terræ Sanctæ JESUS-CHRISTI Sanguine irrigatæ. Felix Bethleem, felix Palestina, felix Galilæa, felix Judæa, felix Jerusalem, felix Terra promissionis: felix Terra Sancta, quæ non tantum Sanctos Prophetas, sed & ipsum Verbum Increatum & Incarnatum, gignere, videre & audire digna fuisti!



quæ Divinis illius pedibus calcata,  
 ejus sermonibus instructa, Prædicationibus  
 illuminata, ejusdem sudoribus,  
 lacrymis, influentiis gratiarum, lacry-  
 mis & proprio Dei-Hominis Sanguine  
 irrigata, & fœcundata fuisti; quæ  
 eundem JESUM-CHRISTUM,  
 hospitem, civem, Redemptorem,  
 liberatorem, & Salvatorem habere  
 meruisti. Scilicet factus est in pace lo-  
 cus ejus, & habitatio ejus in Sion,  
 quæsiimus locum Domino, & ta-  
 bernaculum Deo Jacob. Ecce audivi-  
 mus eum in Ephratâ, invenimus eum  
 in campis silvæ: introibimus in taber-  
 naculum ejus: adorabimus in loco  
 ubi steterunt pedes ejus. *Psal. 131.*  
 Ecce ubi, ipsemet Christus tuam fun-  
 davit Ecclesiam, quam acquisivit San-  
 guine suo. Hoc in loco Terræ San-  
 ctæ, quo non est sanctior in toto ter-  
 rarum orbe, refulsit Aurora legis no-  
 væ, in splendoribus Sanctorum. Ip-  
 sius Virginis Deiparæ semper Imma-  
 culatæ, Apostolorum, Evangelista-  
 rum, ac primorum fidelium, fide &  
 charitate ardentium: Adoratorum  
 Sanctissimæ Triadis in spiritu & veri-



tate, qui omnes primitias spiritus habentes; hic prædicaverunt magnalia Dei, prout Spiritus Sanctus, dabat eloqui illis.

Quocirca Christus sponsus, hunc thalamum sibi adamans, indeque Sponsam dilectissimam Ecclesiam, Sanctam alliciens: Veni, inquit, de Libano, de Jerusalem, & de Judæa Sponsa mea, veni de Libano coronaberis, de capite Amanâ & de vertice Sanir, & Hermon, utique Judææ montium, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum. *Cant. 4.* Idipsum cæcinit Zachar. *c. 13.* In die illa, erit fons patens, gratiæ scilicet, & Baptismi, ac Sacramentorum Christi, legis novæ auctoris, Domui David & habitatoribus Jerusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ: & erit in die illa dicit Dominus exercituum. Disperdam nomina idolorum in terrâ, & non memorabuntur ultra: & *c. 14.* Stabunt pedes ejus in die illâ super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad Orientem: & erit in die illâ, exhibunt Aquæ vivæ de Jerusalem, & erit Dominus Rex super om-



nem terram. In die illâ erit Dominus unus, & erit nomen ejus unum. Michæas verò c. 4. dicit, De Sion exhibit lex & Verbum Domini de Jerusalem. Imò verò ipsemet Christus, Prophetarum Magister ac scopus, mox ascensurus ad Patrem, clarissimè dixit & prædixit, *Luca 24.* Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertiâ die: & prædicari in Nomine ejus Pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolymâ. Quæ omnia cùm jam completa esse certissimum sit: infelices ergò Christiani qui à suis incunabulis exulant: qui Sanctam Urbem prædicationibus Verbi Incarnati illuminatam, sudoribus & lacrymis illius irrigatam, innumeris ejusdem miraculis & prodigiis illustratam, ac demum ipsiusmet Dei-Hominis pretioso Sanguine, sibi ereptam sciunt, nec lugent. Miseri inquam Christi Confessores, qui Civitatem sanctam Jerusalem, pacis visionem, omnium mirabilium Dei-Hominis amphitheatrum: quæ fuit aurora novæ Ecclesiæ Dei vivi,



primumque ejus regnum spirituale in  
 terris: ab inimicis Crucis Christi sæ-  
 vissimis, à Turcis & Saracenis possideri,  
 prophanari, & infinitis sacrilegiis &  
 abominationibus gentium, pollui  
 cernunt & tolerant. Proh dolor! non  
 est, qui hæc recogitet corde, non est  
 qui consoletur eam ex omnibus charis  
 ejus: omnes amici ejus spreverunt  
 eam, & facti sunt inimici. Migrave-  
 runt ex eâ fideles propter afflictionem,  
 & multitudinem infamis, ignominio-  
 sæ, & tyrannicæ servitutis; repleta  
 est gentibus quæ nomen Dei blasphe-  
 mant totâ die & polluunt Templum  
 Sanctum ejus: nullus est locus Sanctus  
 in Sanctuario: Idolis repleta est Civi-  
 tas Dei videntis. Omnes persecutores  
 ejus apprehenderunt eam inter an-  
 gustias. Viæ Sion lugent eò quod non  
 sint, qui veniant ad Solemnitatem:  
 omnes portæ ejus destructæ sunt, Sa-  
 cerdotes ejus gementes, Virgines  
 ejus squallidæ, & ipsa oppressa est ama-  
 ritudine amarissimâ; facti sunt hostes  
 ejus in capite, inimici ejus locupleta-  
 ti sunt ex vasis Sanctuarii: Posue-  
 runt Jerusalem in pomorum custo-



diam; & egressus est à facie Sion omnis  
 decor: facti sunt Principes ejus velut  
 arietes non inveniētes pascua; &  
 abierunt absque fortitudine ante fa-  
 ciem subsequēntis: recordata est Jeru-  
 salem dierum afflictionis suæ, & præ-  
 varicationis omnium desiderabilium  
 suorum, quæ habuerat à diebus anti-  
 quis, cum caderet populus ejus in ma-  
 nu hostili, & non esset auxiliator, in  
 tempore oportuno: viderunt eam ho-  
 stes Christiani Nominis, & Sepul-  
 chrum Christi Gloriosum, est in po-  
 testate inimicorum ejus qui Chri-  
 stum contemnunt, & spreverunt il-  
 lam, quia viderunt ignominiam ejus:  
 vide Domine afflictionem Civitatis  
 tuæ quoniam erectus est inimicus tuus  
 contra eam: manum suam misit ho-  
 stis ad omnia desiderabilia ejus, quia  
 vidit gentes ingressas in Sanctuarium  
 suum de quibus præceperas ne intra-  
 rent in Ecclesiam tuam: vide Domine  
 & considera quoniam Civitas tua, quam  
 acquisivisti Sanguine tuo, facta est vi-  
 lissima, & abominatio desolationis.  
 Plorans plorat in nocte cœcæ gentili-  
 tatis: lacrymæ ejus in maxillis ejus,



expandit Jerusalem manus suas; & non est qui consolatur eam. Audite obsecro Principes, & populi Christiani, & videte dolorem matris vestræ Jerusalem Sanctæ, Domina gentium facta est sub tributo, vocat amicos suos, & Sacerdotes, & omnes filios, & ipsi contempserunt, deriserunt, & deceperunt eam.

## §. II.

**S**ed nunquid semper iratus est Dominus in populum suum? & abominatus est hæreditatem suam? Absit, postquam iratus fuit propter delicta populi sui, misericordiæ suæ recordatus est. Corda omnium Regum etiam infidelium in manu ejus sunt, quocumque voluerit flectit illa. Ipse est qui Loca Sancta fidelibus suis restituit per Constantinum magnum. Primi hujus Christianissimi Imperatoris Mater, sancta Helena, post filii conversionem, ejus jussu & sumptibus, Hierosolymam profecta, Loca Sancta religiosè venerata, in Bethleem, in Monte Calvariæ, & Oliveti, alibi que, Regiâ magni-